

§. 1. In locum autem demortuorum Commissariorum; modernus Episcopus Zagrabiensis, Comes Joannes Draskovich; et modernus Regni Vice-Banus, Daniel Rauch; ac Paulus Patachich (non obstante unius eorum absentia) pro Commissariis denominantur.

Civitas Segniensis, in Juribus suis conservetur; de praetensis Injuriis, sibi illatis, remedium consequatur; et Ablegatos suos, ad Aulam Suae Sacratissimae Majestatis, ac Diaetas et Congregationes Regni; expedire possit.

Articulus 128.

Ad lamentationem Civitatis Segniensis, contra Officiales Militares, de variis injuriis; manutenendisque Juribus et Libertatibus suis; ac Ablegatorum Suorum, ad Aulam Sacratissimae Suae Majestatis Caesareo-Regiae et Diaetam Regni Ungariae, ac Congregationes praefatorum Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae exmissione, factam Instantiam decernitur;

§. 1. Ut praefata Civitas, in Juribus et Libertatibus suis, amodo posterum conservetur; Ablegatosque suos (etiam Servitio Militari subjectos, facta apud Officiales Militares insinuatione et idonearum Personarum substitutione) tam ad Aulam Suae Majestatis; quam Diaetam Regni Ungariae et Congregationem praefatorum Regnorum expedire possit.

§. 2. Respectu praetensarum vero injuriarum suarum, in Gravaminibus allegatarum; ad Commissionem, Articulo 113. modernae Diaetae, expressam, remittitur; ubi earundem revisionem et determinationem consequetur. *)

CAROLI VI. IMPER. & REGIS III. DECRETUM II. ANNI DOMINI 1723.

Articuli DD. Praelatorum, Baronum, Magnatum et Nobilium.

De Metis, cum Vicinis Regnis et Provinciis rectificandis et revisis; effectuantis.

Articulus 17.

Sacratissima Caesarea et Regia Majestas, ad humillimam Statuum et Ordinum Instantiam clementissime admittit; ut circa Metarum inter Vicinarum Provinciarum et Regni Ungariae, Partiumque eidem annexarum Limites, hactenus peractae et nondum relatae Commissiones, referantur;

§. 1. A benigna vero approbatione pendentes; quantocyus ratificandas; Approbatas autem et ratificatas; finita praesenti Diaeta, immediate Executioni mancipandas; nondum vero celebratas; aequae finita Diaeta, Sensu Articuli 39. Anni 1715. et inibi citatorum, peragendas et concludendas; praeviaque earundem Relatione et Ratificatione, aequae Executioni mancipandas, benigne resolvit.

*) Urgetur; An. 1723. a. 88. §. fin. Confirmatur autem et extenditur; An. 1741, a. 56.